

Sufficit una concio hujus capituli explicationi: Aliàs pertinet ad Dom. *Jubilate.*

## CAPUT XLVI.

*Transitio & Continuatio.*

**H**Atenus fuit prior pars concionum *Jeremiae*, earum nempe, quas ad populum DEI, *Hebraeos*, habuit: Succedit jam pars posterior complectens *Prophetias ad gentes exterarum*, populiqve DEI hostes directas, sicut patet è vs. 1. quem non abs re sequentium capitulum *commune proœmiolum*, vel *inscriptionem generalem* appellaveris.

*Causa*, ob quas *Prophetae exteris etiam nationibus* Concionando *clades suas denunciarint suis.*

*Fines* autem ob quos *Prophetae gentibus etiam exteris clades ac pœnas fatales denunciarint* (4) numerari possunt, quorum (1) *Διδασκαλικός*, ut nimirum intelligatur, felicitatem populorum gentilium non fuisse diuturnam, & proinde vanam & inanem eorum opinionem, quâ illam religioni suæ *Idololatricæ* vindicare non veriti. (2) est *παρηγορητικός*, ne pîi prospero rerum successu, & florantissimâ illarum gentium fortunâ offenderentur aut perturbarentur, quasi futurum, ut *Ecclesia* ab illis penitus absorbeatur, sed ut certò sibi persuaderent, metas esse positas illis *Ecclesiæ persecutoribus & pœnas fatales destinatas*, quibus earum tyrannis in *Ecclesiam* justo DEI *judicio vindicanda*. (3) *ἐπιανορθωτικός*, ne scilicet gentibus illis, cum quibus, teste *historiâ biblicâ*, interdum *fœdera* jungebant, nimium confiderent, quandoquidem & illis *fatales à DEO clades destinatae*. (4) est *ἀπληθικός* vel *ἐλεγκτικός*, eò nimirum directus, ut terreantur non tantum illæ gentes; sed ut etiam *populus DEI* in hanc sententiam à minori ad majus argumentari assuescat: Si Dominus non parcit gentibus verbi divini luce destitutis, utiqve multò minùs parceret populo suo contemnenti verbum, ex quo DEI cognitionem tum quoad *essentiam*, tum quoad *voluntatem ipsius* habet.

*Argu-*